
Au Docteur Laurent Pouya
L'Auteur



DE
CREPIDIS NOVA SPECIE;

ADDUNTUR ETIAM ALIQUOT CRYPTOGAMÆ FLORÆ PEDEMONTANÆ.

AUCTORE JOANNE BABTISTA BALBIS.

Perlecta die 24 nivosi anno 12.

INTER genericos *Crepidis* characteres celeberrimus LINNÆUS pappum recenset plumosum, ac stipitatum, quæ nota licet in plerisque reperiatur crepidibus, illam tamen in pluribus desideramus; atque hinc facile fieri potüit, ut nonnulli recentiores Botanici genericos *Crepidis* characteres statuentes pappum quidem stipitatum, LINNÆO duce, crepidibus assignaverint, illud tamen addentes plerumque sessilem esse. Verum hoc seminis discrimen tanti fecit præclarissimus JUSSIEU, ut *Crepidis* species omnes iterum, ac diligentius esse examinandas, atque earum quasdam alio depellendas recte duxerit; itaque jure optimo *Crepidis barbatæ* L. novum instituit genus *Drepaniæ* nomine, quum in hac planta semina in apice sint ciliata, atque aristata.

Hæc discrimina in omnibus, quæ undique colligere potui crepidum seminibus, qua maxima per me fieri potuit diligentia, atque ipso etiam lentis subsidio perpendens, majorem crepidum, quæ pappo sessili instructæ essent, numerum detexi; illud quoque animadverti, pappum in aliquibus simplicem, in aliis plumosum esse, semina crepidum, quæ pappo sessili donantur exigua, brevia, striata, fusca, vel nigrescentia; ea vero, quæ in crepidibus pappo stipitato instructis observavi, oblonga magis, compressa, sulcata, albescentia, vel viridantia.

Hisce satis diligenter cognitis, ad multiplices *Crepidis* species distinguendas hanc Botanicis sane perutilem instituere divisionem existimavi; in eas scilicet, quæ pappum sessilem, atque illas quæ stipitatum habent.

Pertinent ad priorem divisionem quæ sequuntur mihi cognitæ species:

Crepis tectorum L.
virens L.
coronopifolia Desf.
austriaca L.
aspera L.
sibirica L.
Leontodondoïdes All.
pulchra L.
Dioscoridis L.
stricta Scop.
taraxacoïdes Desf.

Ad alteram vero spectant:

CREPIS rhagadioloïdes L.
biennis L.
fœtida L.
alba L.
præcox Balb.
alpina L.

Reliquas, si ita placet, referant Botanici ad quamlibet ex memoratis divisionibus.

Diu multumque dubius hæsi, an nova tradenda species ad *Hieracii*, vel ad *Crepidis* genus vere pertineret, ideoque superiores instituere observationes operæ prætium duxi.

Ut autem certior fierem, *Hieraciorum* apud nos existentium semina rimatus quoque sum; hæc vero singula sulcata, minuta, ac fusca, vel nigrescentia pappo sessili instructa deprehendi; nostra igitur planta medium quemdam obtinet locum inter *Hieraciorum*, *Crepidum* L. genus, vel etiam *Drepaniœ* JUSSIEU, Eadem enim calicem habet vix calyculatum, sed subimbricatum, pappum sessilem, semina nigrescentia, minutissima, quadri, 5 vel 6 aristata, perinde ac in *Drepania* observantur. Hinc patet, cur *ambiguœ* vulgare nomen eidem tribuerim.

Huic peculiari *Crepidis* speciei nonnullas cryptogamas stirpes esse addendas existimavi; has enim vel ipse elapso autumno in excursionibus meis, vel meritissimi viri Ignatius MOLINERI in veterinaria schola Botanices professor,

hortique Præfectus, aut Joannes Franciscus PIOTTA Præfectus alter collegimus.

Quibusdam insuper alibi traditis speciebus nonnullas etiam addam observationes.

In fungis recensendis nomina præsertim ex cl. BULIARD mutuatus, nitidissimas hujusce auctoris figuras indicavi, quo facilior, promptiorque fiat eorum cognitio.

CREPIS *ambigua*, *N.* (*Tab.* I.)

C. foliis inferioribus dentatis hirtis bullatis, obliquis; superioribus linearibus dentatis, supremis linearibus integris.

Descr. Rad. perpendicularis.

Caulis erectus 2-3-4-pedalis et ultra, sulcatus, ramosissimus, inferne subtomentosus, superne glaber.

Folia inferiora, lanceolata, hirta, basi in petiolum angustata, dentata, dentibus inæqualibus integris, introrsum versis, superiora oblonga linearia ad instar *Scorzoneræ* undulata, dentata, suprema tandem linearia integerrima.

Rami florigeri dichotomi, alterni, subnudi, bracteati, bracteæ lineares concavæ.

Flores in dichotomia sub-sessiles, reliqui terminales.

Calix *exterior* aliquibus squammis, vel potius bracteis distinctus; *interior* squammis setaceis subimbricatis glaucis, pappi longitudine.

Corolla sulphurea pluribus flosculis composita, quorum laciniæ sunt 5 dentatæ.

Semina fusca, minuta, striata, 4, 5, vel 6 aristata, aristis simplicibus.

Crepidem hanc ob summam altitudinem *altissimam* primo appellaveram, subque hoc nomine in catalogo stirpium horti Botanici, mox in lucem edito indicavi.

Lecta est ab Ignatio Molineri in Liguria locis incultis ad agrorum margines, ac in olivetis prope *Savona* et *Loano*, vivensque planta ab eodem ex itinere anno Reipublicæ Gallicæ X suscepto, et in hortum botanicum allata, seminibus quoque dein exculta. Planta ab hisce orta seminibus tantam adepta est crassitiem, et altitudinem, ut monstruosa evaserit. Non floret, nisi quum a solis radiis est vehementer percussa. Biennis.

CRYPTOGAMIA.

FILICES.

Polypodium *leptophyllum*, *L.*

P. frondibus bipinnatis sterilibus, brevissimis: pinnis cuneiformi lobatis. *Syst. veg. ed.* 14, *p.* 938, *Gerard. Gall. prov. p.* 70.

Asplenium filicinum leptophyllum elatius hispanicum. *Barr. ic.* 431 *optima.*

Raram hanc Polypodii speciem primus reperit eximius vir Bernardus Tillier circa oppidum *di Piverone*, prope locum dictum *le Moline de Palazzo*, misit-

que ad civem PIOTTA, e quo nonnulla sicca habui specimina. Delectatur solo friabili, lævi, ac meridiem spectanti.

ALGÆ.

LICHEN *polydactylus*, *Ach.*

L. coriaceus expansus, digitato-lobatus, glaber, cinereo glaucescens, subtus venoso-fibrillosus, peltis in lobis elongatis attenuatis adscendentibus, anticis, subrotundis, nigro-fuscis. *Lich. svec. prodr. p.* 162.

LICHEN *cinereum polydactylon*, *Dill. Musc. p.* 207, *t.* 28, *f.* 107, *et* 108.

Locis alpestribus editioribus, præcipue sub juniperis reperitur.

Obs. *Fragilis admodum, viridescens; hinc facile a* L. canino, *solo colore distinguendus.*

LICHEN *pinastri*, *Ach.*

L. membranaceus, sulphureus, subtus flavus, utrinque lævis, foliis depressis complicatis, inæqualiter laciniatis, margine adscendentibus, pulverulentis flavissimis. *Lich. sv. prodr. p.* 168, *Scop. carniol.* 2, *p.* 382, *Hoffm. enum. Lich. t.* 22, *f.* 2.

In collibus editioribus Taurinensibus ad arborum caudices reperitur. Frequens etiam occurrit locis alpinis ad radices *Pini Abietis.*

Obs. *Folia habet undulata, crispa, margine pulverulenta, flava. Scutellas nunquam vidit cl.* ACHA-

rius, *hinc propaginem dioicam esse suspicatur* L. juniperini.

Lichen *fastigiatus*, *Ach.*

L. sub-cartilagineus cinereo-pallidus, lacunosus, cæspitosus, laciniato-ramosus, ramis fastigiatis teretiusculis, sursum incrassatis, ramosissimisque attenuatis, sub-inermibus, scutellis terminalibus sessilibus, concoloribus. *Lich. Sv. prodr. p.* 176.

Lichenoïdes cornutum, bronchiale molle, subtus incanum. *Dill. Musc.* 160, *t.* 21, *f.* 54, et Lichenoïdes coralliforme rostratum et canaliculatum. *Ej. p.* 170, *t.* 23, *f.* 62.

Locis maritimis occurrit super *Acer campestre*, ac repertus ab Ignatio Molineri in ascensu montis *Rauss* dicti ad *Saorgio* positi.

Lichen *vulpinus L. Allion. Fl. P. n.* 2596. (*Tab.* II.)

Non in solis Valdensium alpibus, sed in sylvis pene omnibus nostrarum alpium reperitur. Raro receptaculis insignitus occurrit, imo hæc adhuc ignota esse tradit Ill. Acharius (*Lich. Sv. prodr. p.* 180). Neque ullam de iisdem mentionem fecere celeberrimi viri Linnæus, Dillenius, Villarius, aliique permulti. Pleraque tamen ab oculatissimo nostro Molineri specimina receptaculis prædita possideo, quæ lecta fuere super corticem pinorum in editissima sylva de *Lanslebourg* in descensu montis *Cenisii*. Receptacula hæc plana sunt, subrotunda, obscure rufa in ramulorum apicibus posita. Quæ vero

stirps hæc gerit tubercula strigosior, vixque lacunosa est, dum altera iisdem destituta major, ramis complanatis, latioribus, et lacunosis donatur. Hæc indicavi discrimina, ut Botanici videant, an distinctæ species sint habendæ.

LICHEN *cerinus*, *Ach.*

L. crustaceus cinerascens tenuis; scutellis luteis margine albo, demum nigricante sub-inflexo. *Lich. Sv. prodr. p.* 40, *Hoffm. pl. Lich. tab.* 33, *f.* 1.

In vetusto arboris trunco ad rupem *delle tre penne* dictam prope Segusium reperit præclarus medicinæ doctor, ac naturalium rerum scrutator eximius J. Franciscus RÈ.

Obs. *Quod exemplar possideo est varietas, quam* HOFFM. *appellavit* Verrucariam aureo-cerinam *scutellis rufescenti cerinis, demum convexiusculis, margine albido.*

LICHEN *radiatus*, *Ach.*

L. cartilagineus, foliis minutis, sub-imbricatis, lobato-crenatis, bacillis albo cinerascentibus, elongatis, cylindraceis, sub-simplicibus, scyphis digitato radiatis, tuberculis glomeratis fuscis. *Lich. Sv. prodr.* 190.

In Javenensibus alpibus legi.

LICHEN *delicatus*, *Ach.*

L. cartilagineus foliis minutissimis subimbricatis laciniato-crenatis, bacillis compressiusculis superne subdivisis; tuberculis globosis demum nigris. *Lichen. Sv. prodr. p.* 199.

Lichen (*parasiticus*) leproso-farinaceus, albicans tuberculis stipitatis congestis nigris. *Hoffm. enum. Lich. p.* 39, *tab.* 8, *f.* 5.

Ex collibus Taurinensibus attulit civis Chiera super arborum cortices, substratis ut plurimum muscis.

Lichen *nivalis, L.* (*Tab.* 2.)

Aut varietates insignes, aut distinctas species constituere videntur quæ in nostris alpibus obviam veniunt hujusce Lichenis species; una ex his lutea, rufisque scutellis prædita, sed rara, et in solo *Cenisio* monte reperta est ab Ignatio Molineri; altera alba frequentior, nunquam scutellis prædita, et tota lacunosa.

FUNGI.

Mucor *floculentus, N.* (*Tab.* 2.)

M. stipitibus basi dilatatis, sensim gracilescentibus, pericarpiis cinereis floccosis.

Parasiticum super *Pezizam Auriculam* reperi in sylva horti *Villastellone* ad eximium virum La-Ville hujusce ditionis Præfectum spectantis.

Descr. Elegans species; stipes simplex, fusco-ater, basi crassiusculus, sensim versus apicem gracilescens. Pericarpia globosa, cinerea, quæ disrupta nigrescentem pollinem magna copia emittunt, reticulo dein manente confertissimis flocculis insignito.

Mucor *virens, Gmel.*

M. thalassinus, capitulo globoso. *Syst. veget. p.* 1486.

M. roridus, fugax, aqua marinus. *Batsch. el. fung. p.* 157.

In semiputrido ligno una cum *Clavaria penicillata* mox enarranda reperit meritissimus civis MICHEL.

Obs. *Stipitatus, simplex, totus virens.*

MUCOR *villosus, Bul.*

M. sparsus villoso-pubescens; stipitibus crassis, simplicibus, brevissimis: pericarpiis vesiculosis, ex subrotundo-ovatis. *Herb. de la fr., t.* 1, *p.* 110, *t.* 504, *f.* 15.

Ad semitas in sylvis collium Taurinensium super stercus caprinum invenit civis PIOTTA.

ARCYRIA PERSOON.

Char. gen. *Theca demum circumscissa, parte supera fugaci; parte infera persistente, subtus stricta. Tent. dispos. method. fungor., p.* 10, *Genus* Trichiis *Bul. affine.*

ARCYRIA *punicea, Pers.*

A. gregaria, punicea. *l. c.*

Embolus crocatus *Batsch. el. fung. f.* 177.

Legi in corticibus arborum emarcidarum locis umbrosis collium Taurinensium.

TRICHIA *axifera, Bul.*

T. ferruginea; stipitibus criniformibus; pericarpiis axi longitudinali adnatis, primum sub-ovoideis, demum cylindraceis. *Herb. de la fr., t.* 1, *p.* 118, *t.* 477, *f.* 1, *Oed. Fl. dan., t.* 216.

In muscis parasitat, et allata fuit ex valle *Patonera* in collibus Taurinensibus.

TRICHIA *typhoïdes, Bul.*

T. ferrugineo sub-fusca; stipitibus basi dilatatis, pericarpiis axi longitudinali adnatis, primum cylindraceis. *Herb. de la fr., vol. I, p.* 119, *t.* 477, *f.* 2.

Post pluvias occurrit ad palos retro hortum botanicum Taurinensem medio octobris mense hujus anni.

Obs. *Utrasque hasce species* Stemonitidis typhinæ *nomine conjunxit, tradiditque* GMELINUS (*Syst. veg.* 2, *p.* 1467); *distinctæ tamen species videntur, quum* typhina *pedicellos habeat basi latiores, ac pericarpia cylindrica, primum rubiginosa, dein nigrescentia, immensoque polline referta, reticulo laxissimo postea remanente. Hasce quoque ut distinctas species proposuit cl.* PERSOON *in obs. Mycol. p.* 56, *et* 57.

SPHŒROCARPOS *cinnabarinus, N.*

Stemonitis (*botrytis*) fasciculata, capitulo pyriformi purpureo. *Gmel. syst. veg. p.* 1468.

Trichia pyriformis gregaria stipitata, capitulo pyriformi purpureo. *Hoffm. veg. crypt.* 2, *t.* 1, *f.* 1, *optima.*

Mucor pomiformis substipitatus capitulo globoso fulvo, *Leers. herbor. p.* 288.

Inter rimas emarcidi corticis *Pyri communis* repertus est ab Ignatio MOLINERI in horto magno *Valentini.*

Obs. *Modo solitarius, modo gregarius, stipite modo longiori præditus interdùm sessilis, capitulo glo-*

boso cinnabarino, per ætatem purpureo. HALLERI *synonimon, et icon ab* HOFFMANNO *citata ad aliam plantam spectare videntur.*

NIDULARIA *vernicosa, Bul.*

N. extus veluti recutita, subfuliginea, intus lævis, nitida, livido-plumbea; marginibus reflexis, seminibus glabris. *Herb. de la fr., vol. I, p.* 164, *t.* 488, *f.* 1.

Terrestris; provenit abunde in horto magno *Valentini.* Hæc putrido ligno raro innascitur, observante cl. BULIARD. Arborum radicibus, vel stirpium putrescentibus culmis parasitat.

Obs. *Speciem hanc, et lævem Bul. in miscellaneis botanicis traditam, sub* Pezizæ lentiferæ *nomine conjunxerat nunquam satis celebratus* ALLIONIUS *noster in Flora Pedemontana. Merito sejungendas cum cl.* BULIARDO *existimavimus, quum* vernicosa *intus nitidior, colore sit plumbeo, marginibusque reflexis facile a* N. lævi *distinguatur.*

LYCOPERDON *epidendron, Bul.*

L. exiguum, subglobosum; carne sanguinea, seminibus cinereo-rufidis; pericarpio friabili. *Herb. de la fr., t.* 1, *p.* 145, *tab.* 503, *Lin. sp. pl.* 1654. *Bell. app. ad Fl. Ped., p.* 76.

Hoc memoravi, quod ex Taurinensibus collibus, et ex sylvis *della Mandria* prope la *Veneria* allatum sit lignis putridis adhærens, semperque fuligineum, superficie granulosa, ut exhibet. *Fig.* 4, *tab. cit. Bul.*

LYCOPERDON *Carpobolus, L.*

L. volva multifida, fructu globoso, ex seminibus combinatis. *Fl. dan.* 895, *Murr. syst. veg.* 981.

Sphærobolus (*stellatus*) globosus volvatus liber. *Gmel. syst. veg.*, *pag.* 1462.

In horto magno *Valentini*, copiose ad truncos putridos telluri substratos, et in collibus Taurinensibus occurrit.

Lycoperdon *cœlatum Bul.*

L. majus turbinatum; carne alba; seminibus subfuligineis, pericarpio tenui, flaccido, radice cespitosa. *Herb. de la fr.*, *vol.* 1, *pag.* 156, *t.* 430.

In monte *Cenisio* ad semitas in pascuis observavit civis Molineri.

Clavaria *cinerea Bul.*

C. murina, fragillima, glabra, ramis coralloidibus, obesis, glabris, nec fistulosis, apicibus depressis. *Herb. de la fr.*, *Vol.* 1, *pag.* 204, *t.* 354.

In collibus Taurinensibus lecta est.

Obs. *Non confundenda hœc* Clavariæ *species cum* cinerea, *quam ex* Villario *tradidit celeberrimus noster* Bellardi *in* app. ad Fl. Ped., pag. 75. *Hanc quoque, uti et* niveam *ejusdem auctoris ex collibus Taurinensibus attulere meritissimi cives* Molineri *et* Piotta.

Neque cum C. coralloide, quam Manine *vulgo appellant, confundi potest, quum colore constanter cinereo, apicibus complanatis, totoque habitu sat evidenter ab eadem differre videatur.*

Clavaria *penicillata Bul.*

C. exigua, elongata, gracilis, lutea, glabra, apice penicillatim dissecto. *Hist. des champ.*, *t.* 1, *pag.* 207.

Semiputrido ligno adhœrentem invenit indefessus botanices cultor civis Cyrillus MICHEL in collibus Taurinensibus ad semitas, a Caburetto eundo ad Sacellum Divæ Magdalenæ.

PEZIZA *amentacea*, *N.* (*Tab.* 2.)

P. tenuis, cerea, lævis, modo stipitata, modo sessilis, cratera cupulari.

Allata est ab Ign. MOLINERI ex collibus Taurinensibus, ubi reperta fuit in sylvis vineæ *Bianzé*. In solis amentis putrefactis *Betulœ Alni* interdum sub tellurem degit, et tunc stipitata, modo autem iisdem telluri solum instratis amentis insidet, tuncque sessilis est.

Descr. Admodum tenuis, fusca, cerea, lævis, modo stipite elongato, farcto, firmoque instructa, modo sessilis, cratera cupulari, per vetustatem planiuscula.

Obs. *Proxima sequenti, sed hœc minor, semper stipitata, superque emortuarum arborum semiputribus caulibus nascitur, vel dejectis arborum ramulis adfixa reperitur, dum nostra multo major, quandoque sessilis, solisque amentis* Betulæ Alni *inventa est.*

PEZIZA *cyathoidea*, *Bul.*

P. minima, tenuis, fragilis, glabra, stipitata; cratera e cyathiformi planiuscula. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 250, *t.* 416, *f.* 3.

Dejectis arborum ramulis, ac fere putribus adfixam reperi in alnetis Morettensibus, mox elapso autumno.

Obs. *Mire variat colore modo albo, modo luteo, modo demum ferrugineo.*

PEZIZA *tremelloidea, Bul.*

P. gelatinosa, primum sessilis, demum in stipitem crassum desinens; cratera e cupulari complanata. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 240, *t.* 410., *f.* 1.

Legi in emortuo trunco *Ulmi campestris* in memorata sylva *di Villastellone.*

Obs. *Minime confundi debet cum* Tremella amethystea *Bul., quæ in craterem haud est conformata, dum hæc cupularis, et integra, ac violacea se exhibet.*

PEZIZA *hydrophora, Bul.*

P. minima, tenuis, fragilis, globosa, aurantio-coccinea, rore limpido turgida; cratera vesiculosa. *Herb. de la fr., pag.* 243, *t.* 410, *f.* 3.

Gregatim innascentem reperii ad emarcidos arborum truncos in sylva *di Villastellone.*

PEZIZA *araneosa, Bul.*

P. exigua, tenuis, fragilis, aurantio-miniacea, turbinata, subtus fibrillis intricatis operta, cratera complanato-cupulari. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 264, *t.* 280.

In sylvis *Stupinixii* terrestrem hanc *Pezizam* invenit civis PIOTTA.

PEZIZA *Omphalodes, Bul.*

P. minima, crassa, fragilis, aurantiaca, sessilis, glabra,

subtus sub-turbinata, quasi recutita, cratera umbiliciformi. *Herb. de la fr.*, *pag.* 264, *t.* 485, *f.* 1.

Humenti solo, secus torrentem prope vineam *Bianzè* in collibus Taurinensibus gregariam reperit civis MOLINERI.

AURICULARIA *papyrina*, *Bul.*

A. annua, membranacea, mollis, supra zonatim villosa, subtus primum lævis, demum fasciis exarata. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 279, *t.* 402.

Reperi in putrescenti trunco *Ulmi campestris* tam in sylvis de *Villastellone*, quam *Morettensibus.*

Obs. *Tota alba, subtus fulva, reticulo elegantissimo, ac cellulari, ita ut boletum diceres. Odor ipsi suavis admodum.*

HELVELLA *retiruga*, *Bul.*

H. membranacea, tenuissima, verticalis, subrotunda, supra lævis, albo-cinerea, subtus reticulatim venosa, sub-fuligineo cinerea. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 289, *t.* 498, *f.* 1.

In Bryo parasiticam attulit civis PIOTTA ex sylvis *Stupinixii.*

HELVELLA *Hydrolips*, *Bul.*

H. tubæformis, fusco-nigricans, subtus venosa; stipite juxta basim attenuatam fistuloso. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 292, *t.* 465, *f.* 2.

Una cum *Bryo glauco* telluri innascentem reperiit civis MOLINERI versus finem elapsi mensis octobris in umbrosis sylvis vallis *Patonera* prope *Cavoretto.*

Obs. *Stipes totus fistulosus, lutescens. Gregaria.*

HELVELLA *gelatinosa, Bul.*

H. stipite fistuloso, basi turgido, pileo, fornicato, supra lævi, intus gelatinoso, subtus undulato. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 296, *t.* 73, *f.* 2.

Peziza cornucopiæ *Hoffm. veg: crypt. pag.* 21, *t.* 6, *f.* 1. *Vaill. bot. paris.* 58, *t.* 13, *f.* 7, 8, 9.

In sylvis *della Mandria* prope *la Veneria* secus rivulos invenit strenuus civis MOLINERI. Terrestris.

TREMELLA *mesenteriformis, Bul.*

T. gelatinoso-cartilaginea in plures lobos tenues, flexuosos, usque ad basim verticalem partita. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 230, *t.* 499, *f.* 6, *et t.* 406.

Ad emortuarum arborum truncos in horto proprio civis MOLINERI, cum ipso observavi.

Obs. *Mire variat colore, dimensionibusque. Modo aurantia elegantissima, modo vero flavescens; interdum fusca exhibetur.*

HYDNUM *hybridum, Bul.*

H. coriaceum, ferrugineum, stipite crassissimo, brevi: pileo primum convexo, supra lævi, demum infundibuliformi, latissimo. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 307, *t.* 453, *f.* 2.

Ex sylvis *Venariæ* terrestre; modo solitarium, modo una cum altero pilei margine concrescens. Nostrum congruit cum *fig. I., tab. cit. Bul.*

BOLETUS *rubeolarius, Bul.*

B. stipite reticulato, flavo, pileo concamerato, carne

lutea mutabili; tubis ore cinnabarinis. *Herb. de la fr.* 1, *pag.* 326, *t.* 491, *f.* 1.

B. olivaceus Schœff. 2, *t.* 105, *et* 106. *a.*

B. luridus ejusd. *t.* 107.

Legit civis PIOTTA in sylvis collium Taurinensium.

BOLETUS *fimbriatus*, *Bul.*

B. coriaceus, ferrugineus; stipite centrali; pileo subcyathiformi, zonato, margine fimbriato, tubis brevibus. *Herb. de la fr.*, *t.* 1, *pag.* 332, *t.* 254.

Ad semitas locis sabulosis sub *Fago Castanea* supra *Coasse*, legit civis MOLINERI, elapso mense julii.

Obs. *Solitarius, quandoque gregarius una cum aliis pilei margine concrescens.*

AGARICUS *amadelphus*, *Bul. t.* 550, *f.* 3.

Ligno putrido adhærens ex collibus Taurinensibus allatus est versus finem elapsi brumalis, ab Ignat. MOLINERI. Proximus *A. rameali Pers.*, cujus varietatem esse credit hic auctor. Obs. *mycol. pag.* 46.

AGARICUS *annullarius*, *Bul. t.* 377.

Ad caudices *mororum* in collibus Taurinensibus.

Obs. *Proximus* A. mutabili, *sed stipes minime squamosus, ut exhibet ic.* 9. *Schœff. Variat admodum annulo latiori albescente, circulo luteo; stipite fulvo albescenti, fistuloso, crasso, prœsertim versus radicem.*

AGARICUS *argyraceus*, *Bul. t.* 423.

Terrestris. In sylvis collium Taurinensium.

AGARICUS *atro-squamosus*, *Gmel.*

A. pileo fuscescente niveo, maculis striatis nigris sub-

squamoso, stipite subulato valido, lamellisque albis. *Syst. veget. p.* 1419. *Batsch. el. fung.* 81, *f.* 27 *Mich. nov. pl. gen. t.* 78, *fig.* 6, *et* 8.

Reperit hoc anno MOLINERI in sylvis collium Taurinensium versus finem brumalis. Terrestris.

Obs. *Accedit ad tigrinum Bul. t.* 70, *Icon citata* MICHELII, *et illæ, quas exhibet* VAILLANT *in Bot. Paris. tab.* 13, *f.* 4, 5, *et* 6 *optime nostrum Agaricum repræsentant. Squamæ in pileo admodum elevatæ, nigræ tot veluti aculeos referunt.*

AGARICUS *Cameleon, Bul. t.* 545, *f.* 1.

In sylvis *Stupinixii* civis PIOTTA, exque sylvis collium Taurinensium attulit meritissimus Musæi rerum naturalium custos civis VIETTI.

Obs. *Terrestris. Junior stipite farcto, adultius eodem fistuloso, ac umbonato se sistit. Modo croceo, viridivarius, unctuoso, splendido humore madidus. An A. Hyacintus Gmel. syst. veg.* 1416?

AGARICUS *coriaceus, Bul.*

A. perennis, sessilis, dimidiatus; supra zonatus, sericeus, aut lanatus; subtus primum tubulosus; demum dædaleo-lamellosus. *Herb. de la fr.*, 2.e *div.*, *p.* 373, *tab.* 394, *et* 527.

Ad emortuarum arborum palos, et truncos, sessilis, versicolor, supra sericeus, lanatus, sæpe albidus.

Obs. Boletum versicolorem L. *et* Agaricum quercinum *ejusd. auctoris huc spectare censet cl.* BULIARD *l. c.*

AGARICUS *cretaceus, Bul. tab.* 374.

In sylvis collium Taurinensium haud rarus.

AGARICUS *cristatus*, *Gmel.*

A. pileo lacteo, squamis fasciculatis spadiceis vario, lamellis teneris albis triplici ordine digestis, stipite tereti, fistuloso, fuscescente. *Syst. veget. p.* 1414.

A. (*clypeolarius*) stipite fistuloso, gossypino; annulo filamentoso, seu membranaceo, fugacissimo; pileo sub-turbinato, semi-orbiculari; lamellis niveis liberis. *Tab.* 506, *f.* 2, *et* 405.

Legi abunde in horto magno *Valentini.* Terrestris, ac solitarius.

AGARICUS *dulcis*, *Bul. t.* 224.

A. sordide ruber, intus albus, succum album dulcem fundens, pileo (adulti) infundibuliformi, lamellis numerosis, subdecurrentibus. *Gmel. syst. veg. p.* 1412.

In sylvis apricis collium Taurinensium. Terrestris. Pileus adulti infundibuliformis; sauciatus lacteum succum fundit.

AGARICUS *epiphyllos*, *Bul. tab.* 569.

In emortuis foliis tam sylvarum planitiei, quam collium Taurinensium frequens.

AGARICUS *fulvus*, *Bul. t.* 555.

In sylvis *Stupinixii*, *Venariæ*, et collium Taurinensium.

AGARICUS *fusipes*, *Gmel.*

A. pileo dilute umbrino rimoso, margine undulato, lamellis concoloribus rarioribus truncatis, stipite deorsum attenuato. *Syst. veg. p.* 1406. *Bul. tab.* 106.

A. *crassipes Schœff. t.* 87.

In sylvis Villastellone admodum frequens.

Obs. *Cœspitosum constanter reperi pileo convexo, lutescente, lamellis sordide albis, stipite ſarcto, inferne tortili. Edulis.*

AGARICUS *labyrintiformis*, *Bul.*

A. perennis, sessilis, dimidiatus; supra zonatus, glaber; subtus primum tubulosus, demum dædaleo-lamellosus. *Herb. de la fr.*, 2.^{e} *div.*, *p.* 377, *tab.* 352, *et* 442, *f.* 1.

Iisdem locis provenit, ubi coriaceus.

AGARICUS *longipes*, *Gmel.*

A. pileo conico, fuliginoso, stipite concolore striato, farcto, deorsum turgido, infra terram denuo attenuato, lamellis latis inæqualibus, cano-fuliginosis. *Syst. veg. p.* 1406. *Bul. tab.* 232.

In sylvis collium Taurinensium.

AGARICUS *lycoperdonoïdes*, *Bul. tab.* 166, *et* 516, *f.* 1.

A. pulverulentus, pileo rotundo crasso, flavescente, lamellis brevibus, ex atro-flavis, stipite tereti brevi. *Gmel. syst. veg. p.* 1405.

In Agarico putrefacto repertus est ab Ignatio MOLINERI in collibus Taurinensibus.

Obs. *Servatus totus ſulvo polline obtectus ſuit.*

AGARICUS *momentaneus*, *Bul. t.* 128.

A. pileo conico sub papilloso cinerascente fusco, striato, crenulato, lamellis, stipiteque fistuloso-lineari canis. *Gmel. syst. veg. p.* 1425.

Locis pinguibus provenit, lectusque fuit in horto magno *Valentini.*

Agaricus *mucosus*, *Bul. t.* 549.

In collibus Taurinensibus, novembris initio lectus est.

Obs. *Pileus superne viscidus, cui folia ex arboribus decidua adhœrent. Lamellœ vinosœ in juniori Agarico.*

Agaricus *palmatus*, *Bul. t.* 216.

A. gregarius, pileo convexo, obliquo spadiceo, vel obscure ligneo, lamellis concoloribus inæqualibus, margine undulatis, stipite albido farcto brevi. *Gmel. syst. veg.* 2, *pag.* 1411.

In horto botanico ad caudicem *Hederœ Helicis.*

Obs. *Junior totus albidus, vixque stipitatus.*

Agaricus *pectinaceus*, *Bul. t.* 509.

A. (degener). *Gmel. syst. veg.*, *pag.* 1410. *Schœff. fung. t.* 243, *Allion Fl. Ped.* 2, *N.°* 2732.

Nihil ubique in pratis frequens.

Agaricus *pilosolus*, *Gmel.*

A. fusco-cinerascens, pileo convexo, ad latera late plicato, margine dentato repando, lamellis duplicis longitudinis, stipite filiformi, inferne ad latera piloso.

In sylvis *Stupinixii* legit civis Piotta.

Obs. *Terrestris, congregatus, stipite pellucido, filiformi, fistuloso, ad latera inferne pilis albis obsito.*

Agaricus *pseudo-androsaceus*, *Bul.*

A. (*nothus*), albidus, cinerascens, flavicansve, lamellis decurrentibus, carne alba, stipite gracili, farcto. *Gmel. syst. veg.*, *pag.* 1423.

A. ericetorum *Pers.* Obs. *Mycolog.*, *pag.* 50, *t.* 4, *f.* 12.

Locis umbrosis inter muscos provenit, neque loco, forma, ac colore cum *A. androsaceo* convenit.

AGARICUS *pulverulentus*, *Bul. t.* 178.

Ad putrescentes arborum truncos in collibus Taurinensibus frequentem adnotavit MOLINERI.

Obs. *Ingentem pulveris copiam ex lamellis dimittit, quo subjecti agaricorum pilei insperguntur. Proximus* A. amaro *et* mutabili, *sed annulo destitutus.*

AGARICUS *sericeus*, *Bul. t.* 413, *f.* 2 *et* 526.

Legit civis MOLINERI in sylvis *Venariæ.*

AGARICUS *ulmarius*, *Bul.*


Ad ulmos horti magni *Valentini.*

EXPLICATIO.

TABULÆ I.

1 *Flos.* — 2 *id. obversa parte cum calyce.* — 3 *calyx.* — 4 *flosculus.* — 5 *id. cum pistillo.* — 6 *pappus.* — 7 *receptaculum.* — 8 *semen magnitudine naturali.* — 9 *id. auctum.*


Tab. 1.




Crepis ambigua

Gravé par Chianale Amati et Tela à Turin


Tab. 2.



Mucor flocculentus



Lichen vulpinus



Peziza amentacea



Lichen nivalis

Gravè par Chianale Amati et Tela à Turin